

Directions: Highlight all main verbs in one color, all participles in another, and all infinitives in a third color. Write out a translation for the highlighted parts only.

Aeneid II.40-56

Prīmus ibi ante omnēs magnā comitante catervā 40

Lāocoōn ardēns summā dēcurrit ab arce,

et procul `Ō miserī, quae tanta īnsānia, cīvēs?

Crēditis āvectōs hostēs? Aut ūlla putātis

dōna carēre dolīs Danaum? Sīc nōtus Ulixēs?

Aut hōc inclūsī lignō occultantur Achīvī, 45

aut haec in nostrōs fabricāta est māchina mūrōs,

īnspectūra domōs ventūraque dēs super urbī,

aut aliquis latet error; equō nē crēdite, Teucri.

Quidquid id est, timeō Danaōs et dōna ferentēs.'

Sīc fātus validīs ingentem vīribus hastam 50

in latus inque ferī curvam compāgibus alvum

contorsit. Stetit illa tremēns, uterōque recussō

īnsonuēre cavae gemitumque dedēre cavernae.

Et, sī fāta deum, sī mēns nōn laeva fuisset,

impulerat ferrō Argolicās foedāre latebrās, 55

Troiaque nunc stāret, Priamīque arx alta, manērēs.

Directions: Write out a translation for the highlighted parts only.

Aeneid II.199-219

Hīc aliud maius miserīs multōque tremendum
obicitur magis atque imprōvida pectora turbat. 200

Lāocoōn, ductus Neptūnō sorte sacerdos,
sollemnēs taurum ingentem mactābat ad ārās.

Ecce autem geminī ā Tenedō tranquilla per alta---
horrēscō referēns---immēnsīs orbibus anguēs
incumbunt pelagō pariterque ad lītora tendunt; 205

pectora quōrum inter flūctūs arrēcta iubaeque
sanguineae superant undās, pars cētera pontum
pōne legit sinuatque immēnsa volūmine terga.

Fit sonitus spūmante salō; iamque arva tenēbant,
ardentēsque oculōs suffectī sanguine et ignī, 210
sībila lambēbant linguīs vibrantibus ōra.

Diffugimus vīsū exsanguēs: Illī agmine certō
Lāocoōnta petunt; et prīmum parva duōrum
corpora nātōrum serpēns amplexus uterque
implicat et miserōs morsū dēpascitur artūs; 215

post ipsum auxiliō subeuntem ac tēla ferentem
corripiunt spīrīsque ligant ingentibus; et iam
bis medium amplexī, bis collō squāmea circum
terga datī superant capite et cervīcibus altīs.

Directions: Bracket all phrases in () ; bracket all clauses in []. If it is a subordinate clause, please indicate its type. Write out a translation for the highlighted parts only.

Aeneid II.220-238

Ille simul manibus tendit dīvellere nōdos, 220

perfūsus saniē vittās ātrōque venēnō,

clāmōrēs simul horrendōs ad sīdera tollit:

quālīs mūgītus, fūgit cum saucius āram

taurus et incertam excussit cervīce secūrim.

At geminī lāpsū dēlūbra ad summa dracōnēs 225

effugiunt saevaeque petunt Trītōnidis arcem,

sub pedibusque deae clipeīque sub orbe teguntur.

Tum vērō tremefacta novus per pectora cūctīs

īnsinuat pavor, et scelus expendisse merentem

Lāocoōnta ferunt, sacrum quī cuspide rōbur 230

laeserit et tergō scelerātam intorserit hastam.

Dūcendum ad sēdēs simulācrum ōrandaque dīvae
nūmina conclāmant.

Dīvidimus mūrōs et moenia pandimus urbis.

Accingunt omnēs operī pedibusque rotārum 235

subiciunt lāpsūs, et stuppea vincula collō

intendunt: scandit fātālis māchina mūrōs

fēta armīs.

Directions: Highlight all main verbs in one color, all participles in another, and all infinitives in a third color. Write out a translation for the highlighted parts only.

Aeneid II.238-253

Puerī circum innūptaeque puellae

sacra canunt fūnemque manū contingere gaudent;

illa subit mediaeque mināns inlābitur urbī. 240

Ō patria, Ō dīvum domus Īlium et incluta bellō
moenia Dardanidum! quater ipsō in līmine portae
substitit atque uterō sonitum quater arma dedēre;

īnstāmus tamen inmemorēs caecīque furōre
et mōnstrum īnfēlix sacrātā sistimus arce. 245

Tunc etiam fātīs aperit Cassandra futūrīs
ōra deī iussū nōn umquam crēdita Teucrīs.

Nōs dēlūbra deum miserī, quibus ultimus esset
ille diēs, fēstā vēlāmus fronde per urbem.

Vertitur intereā caelum et ruit Ōceanō nox 250

involvēns umbrā magnā terramque polumque

Myrmidonumque dolōs; fūsī per moenia Teucrī

Conticuēre; sopor fessōs complectitur artūs.

Directions: List the case and grammatical use of each noun below. Write out a translation for the highlighted parts only.

Aeneid II.254-267

Et iam Argīva phalānx īnstrūctīs nāvibus ībat
ā Tenedō tacitae per amīca silentia lūnae 255

lītora nōta petēns, flammās cum rēgia puppis
extulerat, fātisque deum dēfēnsus inīquīs
inclūsōs uterō Danaōs et pīnea furtim

laxat claustra Sinōn. Illōs patefactus ad aurās
reddit equus laetīque cavō sē rōbore prōmunt 260

Thessandrus Sthenelusque ducēs et dīrus Ulixēs,
dēmīssum lāpsī per fūnem, Acamāsque Thoāsque,
Pēlīdēsque Neoptolemus pīmusque Machāōn,
et Menelāus et ipse dolī fabricātor Epēos.

Invādunt urbem somnō vīnōque sepultam; 265
caeduntur vigilēs, portīsque patentibus omnēs
accipiunt sociōs atque agmina cōnscia iungunt.